



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Sectio I. An peccata per Pœnitentiam semel remissa redeant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

# DISPUTATIO OCTOGESIMA NONA.

## De reditu peccatorum.

### SECTIO PRIMA.

#### An peccata per Pœnitentiam semel remissa redeant.

I. Status presentis controversia.



ON quærimus utrùm idem numero actus peccati, qui semel fuit productus, possit reproduci, & hoc sensu peccatum remissum redire; hæc enim difficultas communis est omnibus actibus, imo & rebus quibuscumque, de quibus univèrsim disputant Philosophi, an semel destructæ redire naturaliter possint.

II. Non quærimus an in peccatore post annihilationem reproduci, rediret peccata.

Nec etiam quærimus, si Deus annihilaret hominem aut Angelum, qui peccaverat, eosque denudò reproduceret, utrùm cum his simul redirent peccata non remissa, quæ prius commiserant; hoc enim à multis conceditur. Nostra ergo quaestio est, utrùm peccatum semel condonatum, seu per pœnitentiam deletum, possit reviviscere, & animam denudò inficere.

III. De factis peccata semel remissa non redeunt.

Conclusio: Peccata semel remissa de facto nunquam redeunt: ita Sanctus Thomas hic, quaest. octogesima octavâ, art. primo, quem communiter sequuntur Theologi, Suarez disp. decimâ tertiâ, sect. primâ, num. quarto, Vasquez, prima secundæ, disp. ducentesimâ, num. vigesimo tertio, & alii contra Hugonem Victorinum, Gratianum, & alios: nec planè abnuunt Magister distinct. 22. cap. ultimo. Probatur conclusio ex Gelasio Papa capite *Divina*, dist. quartâ de Pœnitentiâ, ubi sic habet: *Divina elementia peccata semel remissa in ultionem iterum redire non patitur*: probarique ulterius potest ex illo Ezechielis decimo octavo, ubi de peccatis per Pœnitentiam deletis ait Deus: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*. Idem expressè docet Sanctus Prosper apud Vasquez loco jam citato. Idem etiam probat Sanctus Thomas citatus in argumento: *Sed contra* ex illo ad Romanos undecimo, *Sine Pœnitentiâ sunt dona Dei*.

IV. Quo sensu in sacra Literâ dicatur Deus recordari peccatorum, quorum fuerat oblitus.

Nec obstat quod in Scripturâ subinde dici soleat, Deum denudò recordari peccatorum, quorum antea fuerat oblitus, & alia hujusmodi; hæc enim solum significant Deum differre ad tempus pœnas temporales peccatis illis debitas, ita ut illorum oblitus videatur.

V. Obicitur parabola de domino prius debitum exigente à servo, qui suo

Objectio hic celebris est circa parabolam à Christo Matthæi decimo-octavo positam, ubi cum dominus famulo veniam petenti, debitum dimisisset, postea cum is confervo parere noluisset, justit eum dominus in carcerem detrudi, donec totum prius debitum solvisset; & addit

Christus: *Sic Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, ergo peccata remissa redeunt.*

Varie Parabolæ hujus solutiones videri poterunt apud Suarez & Vasquez citatos. Responderi potest primò redire idem debitum quoad speciem seu substantiam, nempe pœnam & damnationem æternam, quod debitum per singula peccata mortalia incurritur: hoc tamen debitum non contrahitur ratione peccati præcedentis jam dimissi, sed ratione subsequenti & novo titulo, sicut & Dominus ille adductus in parabolâ non ob debitum jam remissum servum punivit, sed ratione illius crudelitatis in fratrem commissæ, novam ei multam pecuniariam priori æqualem imposuit, licet in exemplis & parabolis non sit quaerenda omnimoda paritas. Secundò addit Vasquez conformiter ad jam dicta, Deum ratione peccati crudelitatis in fratrem permittere, ut homo in tot peccata labatur, donec exæquent pœnam omnem peccatis jam dimissis debitam.

Tertio dici potest, redire prius debitum virtualiter, & secundum quid, nimirum quod ratione ingratitude ortæ occasione peccatorum jam dimissorum sequens peccatum sit gravius, & consequenter pœna major, etsi nullum peccatum sit, in quo hæc malitia ingratitude non reperitur, cum omne peccatum post multa à Deo accepta beneficia committatur. Quatuor verò à Sancto Thoma & Theologis numerantur peccata contra gratitudinem, ob quæ peculiariter dicuntur redire peccata modo jam dicto, nempe odium fraternum, Apostasia, ommissio confessionis sacramentalis, & dolor de priori emendatione & pœnitentiâ.

Quoad Patres, qui frequenter afferere videntur peccata redire, dicere possumus eos aliquo ex iis modis, quibus parabolam explicuimus, esse accipiendos, sicut Sanctus Thomas quaest. octogesima octavâ, art. primo ad primum, explicat Sanctum Augustinum.

### SECTIO SECUNDA.

#### An saltem divinitus reviviscere possint peccata.

DICENDUM, nec per potentiam absolutam possunt peccata semel remissa reviviscere: nec per potentiam absolutam possumus dicere reviviscere. Ita Auctores citati contra Valentiam hic, quaest. quintâ, puncto primo, & Cominck disp. secundâ, num. centesimo quinquagesimo, & alios nonnullos.

esse vero peccata remissa redeunt.

VI. Varia ad hanc parabolam responsiones.

VII. Responderi insuper potest, redire prius debitum virtualiter.

VIII. Quid velint Patres, dum dicere videtur peccata redire.

I. Peccata semel remissa, nec per potentiam absolutam possumus dicere reviviscere.